

NICOLAI COPERNICI

XLIX. locum distantiae medij loci Solis à medio Saturni, & est motus commutatiois eius in media nocte ad Calend. Ianuarij. Ad hunc locum à prima Olympiade anni Ägyptij DCCLXXV dies XII. s. comprehendunt motum præter integras reuoluciones part. LXX. scrup. LV. Qui reiectus à part. CCV. scrup. XLIX. relinquit partes CXXXIII. scrup. LIII. ad principium Olympiadum in meridie primi diei mensis Ιανουαρίου. Exinde post annos CCCL I. dies CCXLVII. præter integros circuitus sunt partes XIII. scrup. VII. appositæ prioribus colligentes Alexandri Magni locum part. CXLVIII. scrup. I. ad primum diem in meridie mensis Thoth Ägyptiorum. Et ad Cæsarē anni CCLXXVIII. dies CXVIII. s. Motus autem part. CCXLVII. scrup. XX. constitutus locū part. XXXV. scrup. XXI. in media nocte ad Calend. Ianuarij.

De Saturni commutationibus, quæ ab orbe terræ anno proficiuntur, & quanta illius sit distanția. Cap. IX.

**M**odus Saturni longitudinis æquales unā cum apparentibus sunt hoc modo demonstrati. Cætera enim quæ illi accidunt apparentia, commutations sunt, ut diximus, ab orbe terræ anno proficiuntur. Quoniam sicut terræ magnitudo ad Lunæ distantiam parallaxes facit, ita & orbis illius, in quo annuo reuoluitur circa quinque errantes stellas habet efficere, sed pro magnitudine eius longè evidentiores. Tales autem commutations accipi nequeunt, nisi prius altitudo stellæ innotuerit. Quam tamen per unā quamlibet commutationis considerationem possibile est depræhendere. Qualem circa Saturnum habuimus anno Christi M. D. XIII. sexto Calend. Martij à media nocte præcedente v. horis æquinoctialibus. Visus est enim Saturnus in linea recta stellarum, quæ sunt in fronte Scorpij, nempe secunda & tertia, quæ eandem longitudinem habentes, sunt in CCIX. part. adhærentium stellarum sphære. Patuit igitur & Saturni locus per easdē. Sunt autem à principio annorum Christi ad hanc horam anni Ägyptij M. D. XIII. dies LXXVII. scrup. XIII. & idcirco secundū numeratio